



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd haec pax conscientiae ad carnem non est trahenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

medius Christus, vt non cum latrone malo desperemus, nec cū bono præsumamus, sed Christū vera fiducia inspiciamus: propter illū enim firma est promissio. Efficacior est sanguis Christi, quàm vel peccata mea, vel bona opera. Sic enim est Christus pax nostra, quoad peccata & quoad opera bona, vt in hora mortis in neutro horū sistamus, sed nudè & firmā fiducia respiciamus in Christum in cruce pendentem, sicut inquit Apostolus Galat. 6. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi &c.

3. Hęc doctrina vt maximè suavis & consolatoria est conscientiaē tribulataē, non tamen trahenda est ad carnem, vt quis liberè velit peccare per luxuriam, superbiam, gulam, &c. eò quia gratia efficacior est peccato, aut quòd nullum velit opus bonū facere: quia propter Christum, & non propter opera nostra, donatur salus: vel quia illam salutem nec impediunt peccata, nec promouent bona opera: Absit hoc, Christus non est iustificator impiorum, infidelium, impenitentium, sed pœnitentium & à peccatis cessantium, Psalm. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. & Lucæ 1. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Neque Saluator illorum est Christus, qui Fidem suam, dum vixerint, post Baptismum bonis operibus & præceptis Dei nō testantur exigit Deus necessariò bona opera & obedientiam præceptorum suorum: licet hæc non saluant, retinent tamen pacem, id est, Christum, & sunt fructus iustitiæ, quos facere tenemur ad laudem Dei atq; gratiarum actionē, Phil. 1. & accipient sua præmia ingentia, 1. Cor. 3. nam Deus ita ex sua liberali & gratuita misericordia vult compensare tam Fidem quàm opera nostra gloria æterna, et si hoc neq; Fides, neque opera nostra ex sua dignitate merentur.

CAPVT